

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a-231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

051

049

055

045

060

040

100

150

550

Ende

Anfang

40

mineat, et si aliquis occidendus est, si venit homo volens plec-
tendum emere, datur ei pro pretio in perpetuum servum.

Uterius processimus et in unum forum plenum hominibus
venimus, ubi in quodam fori loco vidimus magnum hominum con-
cursum; quidam enim Tartaros venales adduxerat, XIII pueros
promiscui sexus, et ita levi caro illos homines vendebat, ac si
eos furto rapuisset; verum tamen erant turpissimi homines quasi
bestiae, si quidem caeteris hominibus, quos in Oriente vidi, Tar-
tari sunt turpiores, sunt enim parvi, et grossos habent oculos
multum prominentes, coopertos palpebris, ita, quod parva est
apertura in eis. Habent insuper latas facies latasque frontes, et
sunt imberbes, nisi in superiori labio, et in mento raros habent
pilos et quasi volatiles. Ridiculosam habent rasuram capitis per
medium capitis ab aure ad aurem, ita, quod ambae aures patent,
et ab utraque parte aurium capilli longi dependent. Sunt etiam
in posteriori parte capitis rasi sursum contra rasuram per medium
ductam, sicut nostri stulti raduntur aliquando, nec videntur mihi
vigentes multa ratione, quia habent stultissimos gestus, ideo forte
sunt vilioris et levioris pretii aliis hominibus.

Inde progressi venimus ad pontem lapideum, arcuato opere
constructum, altum et vetustum, iter praebens per Nili brachium,
quod mediam secat urbem. De illo ponte et aliis pontibus urbis
plures infantibus Hebraeorum sunt praecipitati tempore Moysis, ut
habetur Exodi I. In ipso autem ponte existentes vidimus in utra-
que parte fluminis laborantes in luto et latere homines miseros,
servos emittios et personas viles ad haec vilia opera deputatos in
magna multitudine; si quidem lutum Nili tenax est, in quod paleas
ponunt, et lateres formant, nec aliam praeparationem requirit limus
ille, et lateres formatos ad solem ponunt, cujus calore coquuntur
sine clibano et igne. Et de talibus lateribus sunt paene omnes
domus Cayri, demtis pretiosioribus et turribus et moscheis, quae
sunt de quadris saxeis. Illo duro et servili opere conabatur Pha-
rao, rex Aegypti, filios Israel opprimere, ne in tantum crescerent,
ut habetur Exodi I. Libentissime vidi miseros illos stantes in illo
labore, quia in ipsis filiorum Israel servitutem manifesta simili-
tudine intuebar.

Pertransito autem ponte ascendimus ad latus Nili, et ad unam
plateam pulchram venimus, quam circumstabant altae domus et